

sect had a just and full number of prompt disciples all over *England*, which would offer no worse sacrifice upon our publick Altars, than Honey and Wax, the good example of Piety, Devotion, Arts and Industry.

An Extract of a Latin Letter, written by the learned Signior Malpighi to the Publisher, concerning some Anatomical Observations, about the Structure of the Lungs of Froggs, Tortoises, &c. and perfecter Animals; as also the Texture of the Spleen, &c.

Desideratissimus de Respiratione Doctissimi Thrustonii libellus tandem ad meas devenit manus; ubi propugnata vidi meam, de Pulmonum substantia*, sententiam. Quapropter Te anxie rogo, ut ipsi meo nomine officiosam dicas salutem, plurimasque eidem gratias agas pro spontanea & honorifica meorum dictorum tutela.

* Vid. D. Thruston. in Diatriba de Respirationis Usu primario, p. 42. & p. 143. 144.

Miratus sum valdè, Animadversionum Authori in Testudinum, Lacertarum & Ranarum Sectionibus non occurrissè commercium inter Bronchia, & Pulmones, quos Vesiculas, à laxitate exterioris Pulmonum membranæ obortas, vocat; cùm sanè immisâ in Tracheam fistulâ, & simul in sufflato Aere, Pulmones, eidem Tracheæ appensi, hinc inde circa Cor turgeant; quod & ad libitum animalis frequenter accidit: Hi etiam, dum Aere turgent, si filo innodentur ut siccescant, secti patenter oculis Cellulas & Vesiculas, evidenter membraneas, exhibent. Et licèt in Ranis brevis sit Bronchiorum processus, à Larynge tamen bini ductus, semi-circularibus aliquot annulis constati, in membraneas vesiculas hiant, atque ita succedit Inspiratio & Exspiratio. At in Testudine, Lacertis & similibus, oblonga Trachea in binos subdivisa ramos, Aerem pulmonaribus Vesiculis subministrat. Scio, in Ranis, propè os, hinc inde binas interdum turgentes erumpere vesiculas (procul tamen à Pulmonibus,) quæ buccæ sunt Appendices, & Aere interdum, à pulmonibus in oris cavitatem Expiratione propulso, foras exilire.

Circa

Circa exaratos Pulmones reticularem Musculum locari scias, cujus carneos plexus, sinus, & vesiculas ambientes aliàs ruditer delineavi. Hujus mirabilis contextus patet in Ranis, & Lacertis præcipuè; nam multiplices carnei lacerti per longum producantur, & transversaliter elongatis fibris invicem continuantur; intermediæ verò areæ reticularibus carneis plexibus ulterius occupantur, non absimili ritu ac in Arborum foliis accidit: Retis autem enarrata hæc minora spatia rectis postremo fibris, quasi brevibus tendinibus, pervaduntur. Mirabilis hic Musculus non exteriorem tantum Pulmonum ambit regionem, sed interiores quasunque vesiculas & sinus circumdat, ita ut suo motu singulas pulmonis partes comprimendo, Expirationem Sonumque promoveat. Hæc eadem structura in pulmonibus Perfectorum animalium proportionaliter observatur, & in Agnorum extremis præcipuè lobulis, Aere turgidis, & adhuc mollibus, patet.

Hujus occasione communicandum Tibi duxi, Lienis fibras, quæ tot ingenia torserè, nequaquam nerveas (quod & aliquando ipse autumavi) sed carneas esse, ita ut ex carneo exteriori involucre, & productis transversaliter fibris, mirabilis fiat Musculus, Lienis cellulas comprimens, quo sanguis per Splenicum ramum propellatur non absimili structura ac ritu, qualis in grandioribus Cordis auriculis observatur: Carnei etenim lacerti, per transversum ducti, suarum fibrarum implicatione Rete efformant, membraneas cellulas comprimens, suisque extremis finibus, mirabiliter productis, carneum involucre constituunt.

Parùm absimili structura Equinos præcipuè Testes Natura ditavit; interior quippe ipsorum tunica Carneas fibras, seu extensum musculum, in sui medullio, unà cum varicosis vasibus continet, quæ diversas inclinationes, ut in Liene, habentes, per transversum productæ, & reticulariter implicatæ, Intestinalorum congeriem firmant & comprimunt. Pauca hæc & inordinata in mei amoris & obsequii testimonium habeas, precor. Vale, Dabam Bononiæ die 20. Februarii 1671.